

claratur et probatur, quia gratia non datur ad illud objectum confusum, neque ad collectionem, nisi quantum datur ad hunc vel illum actum in particulari: ergo nunquam datur ut necessaria ad tale objectum confusum, nisi fateamur dari actus in particulari, quos liberum arbitrium per se, et sine gratia præstare non potest: ergo illi maxime sunt quando tentationes graves occurrunt, etiam sigillatim sumptæ.

15. *Hæc etiam instantia invalida est.* — Verumtamen prior illatio patitur eundem defectum quem prior objectio, et eisdem exemplis everti potest. Nam etiam est impossibile vincere tentationes omnes leves collective, seu vitare simpliciter peccatum, seu innocentiam vitæ constanter servare sine gratia, etiamsi in discursu illius temporis non occurrat gravis tentatio determinata, propter quam gratiæ auxilium necessarium sit. Ergo non recte probatur ex illo principio necessitas gratiæ ad singulas tentationes graves. Et ratio a priori est, quia, seclusa difficultate gravis tentationis particularis, in ipsa perseverantia bene vivendi et constanter vincendi omnes tentationes ordinarias, et frequenter occurrentes, quas leves appellamus, est quædam moralis impossibilitas, propter quam superandam est necessarium speciale auxilium, ut capite sequenti videbimus, ideoque necessitas ad singulas graves tentationes per se non colligitur ex necessitate ad omnes simul, licet fortasse per quamdam proportionem explicari debeat, ut dicemus.

16. *Primum punctum ad solidam probationem: Quæ gratia sit necessaria.* — Ut ergo rationem propriam assertionis explicemus, prius declarare necesse est quæ sit hæc gratia quam dicimus esse necessariam; deinde vero quæ sit et unde oriatur necessitas illius, et inde facile constabit quomodo hæc necessitas non obstat naturali libertati. Primum ergo supponimus hanc gratiam non debere cogitari, qualem illam ponebat Gregorius, ad bonos actus, seu ad omnes tentationes vincendas, quia rationes supra factæ necessitatem talis motionis universaliter improbant. Deinde statuimus hanc gratiam non esse necessariam per modum principii physici, et per se concurrentis ad eliciendum actum quo vincenda est tentatio, hoc enim etiam probant rationes factæ in superiori capite, quia actus ille ordinis est naturalis, et non includit in objecto aliquid quod per se et physice excedat naturalem facultatem voluntatis. Unde etiam fit ad hunc effectum non esse necessariam gratiam habitualement, seu

sanctificantem. Probatur, quia nec ex natura rei ac per se necessaria est, quia habitus gratiæ operativi solum sunt necessarii ad actus supernaturales quoad substantiam eliciendos, ut postea videbimus. Nec etiam est necessaria gratia sanctificans ex aliqua ordinatione divina, qua statuerit non dare simile auxilium ad vincendam gravem tentationem homini in peccato existenti. De tali enim lege divina non constat, neque aliquo iudicio aut auctoritate ostendi potest, nec est verisimilis, quia multa alia beneficia gratiæ confert Deus peccatoribus; et frequenter supponunt Theologi dispuantes de martyrio, posse hominem existentem in peccato resistere tyranno cogenti illum negare fidem, quæ gravis tentatio est. Item quia alias, quoties homo vinceret tentationem gravem, posset scire se esse in gratia tam certo, quam certus fuerit de resistentia tentationis sine peccato. Deinde incredibile est peccatorem non posse vincere tentationem gravem, nisi prius justificetur, cum possit interdum facere aliquem actum difficilem virtutis, ut dare vitam pro patria, ex honestate et pietate naturali.

17. *Non tamen sufficit extrinseca Dei providentia.* — Nihilominus tamen addo ulterius hanc gratiam non sufficienter explicari per providentiam extrinsecam antecedentem, qua Deus non permittit tentationem esse majorem. Quia jam supponitur tentatio esse gravis; ergo licet Deus præscierit hominem fuisse vincendum a graviore, et ideo illam non permiserit, nihilominus si præsentem tentationem vincit sine alio adiutorio gratiæ, jam illa victoria tribuitur soli libero arbitrio, et ita plane sequitur liberum arbitrium solis suis viribus naturalibus vincere tentationem gravem. Quod maxime cernitur in gravitate tentationis quasi intensiva, nam gravitas quasi extensiva, quæ ex duratione accrescit, optime potest a Deo præveniri, non permittendo hominem diutius tentari; tunc vero si per durationem non pervenit ad statum gravis tentationis, in hac sola negatione gratia illa consistit; non erit tamen proprium auxilium ad vincendam gravem tentationem. Quia, ut supra dicebam, victoria propria est in resistentia quæ fit supposita tanta et tali tentatione. Unde cum Cassianus, collatione 13, cap. 14, de Job dixerit vicisse tentationem sua libertate, et nihilominus addiderit gratiam non in totum illi defuisse, explicaveritque illam gratiam per hoc solum quod Deus non permisit eum tentatione plus urgeri, quam ab eo præviderit propria virtute potuisse superari; in hoc graviter reprehenditur a Pros-

pero contra Collator., cap. 35, quod victoriam tribuisset soli libertati, et ideo ait verius dicturum fuisse Deum non permisisse tentationem crescere ultra virtutem, quam ipse ad vincendam illam dederat.

18. *Nec sola congrua cogitatio excitata naturaliter.* — Hinc præterea addo non satis explicari hanc gratiam per solam cogitationem congruam, si talis sit cogitatio quæ per externam objectorum propositionem mere naturalem, id est, cum solo concursu et generali providentia Dei comparari possit, sive talis cogitatio omnino libertatis usum antevertat, et ex sola extrinseca providentia adveniat, sive aliqua ex parte libera sit, quia nimirum ad illam consummandam et perficiendam potuit voluntas applicare intellectum, et cum effectu applicuit. Probatur primo ex supra dictis, quia illa cogitatio revera non est gratia, et ita si illa sufficit ad vincendam tentationem gravem, sine gratia vincitur, atque ita veritas de necessitate gratiæ ad hunc effectum, quando illo solo nomine defenditur, potius eluditur quam defendatur. Deinde suppositis quæ diximus, est evidens argumentum, quia eadem cogitatio necessaria est ad vincendas minimas tentationes; ergo nulla est differentia, et consequenter ex parte Dei non esset necessarium majus adiutorium ad vincendas graves quam ad vincendas leves tentationes, quod est contra sententiam omnium qui specialiter requirunt gratiam ad vincendas graves tentationes. Unde etiam multi Theologi talem constituunt differentiam moralem et notandam, quod in levi tentatione non tenetur homo ex præcepto ad orandum et petendum auxilium, in gravi autem tentatione tenetur; ergo aliquid amplius ex parte Dei requiritur.

19. *Item probatur exemplo.* — Denique hoc etiam convincit exemplum positum de Job, nam Cassianus fatebatur illum habuisse cogitationem congruam ex divina providentia, quam ipse gratiam appellabat, quod patet, quia dicebat non fuisse permissum tentari ultra quam vincere poterat, scilicet, efficaciter, et cum effectu, sicut fecit, et sicut Deus præsciebat futurum. Et nihilominus, ex sententia Prosperi, non gratiæ, sed viribus liberi arbitrii tribuebat victoriam, et ideo Prosper illam quidem providentiam requirit ad gratiam efficacem, ita tamen ut supponat vires datas a Deo, et non solam libertatem. Locutus autem sum de cogitatione mere naturali, quæ per causas naturales excitari vel per propriam hominis industriam comparari possit; tum

quia de hac tantum procedunt rationes factæ et omnia superius dicta; tum etiam quia si Deus peculiari modo excitet mentem plus quam naturaliter possit, ut hoc modo det vires sufficientes ad vincendam tentationem, jam illa cogitatio non est mere naturalis, sed præter, vel supra naturam, et sic esse poterit vera gratia. Et nihilominus de tali cogitatione, non recte dicitur dare vires ad vincendam tentationem, quia est congrua: nam potest dare has vires, et non esse congrua, sed tantum sufficiens; multi enim non resistunt gravi tentationi, qui possent resistere, etiam per vires gratiæ sufficientis. Et quamvis verum sit nunquam de facto vinci tentationem, nisi quando illa cogitatio congrua est, hoc tamen non est intelligendum de congruitate, quæ consistit in sola conformitate ad usum liberum futurum, sed de congruitate quæ provenit ex illa peculiari motione vel excitatione quam Deus addit ultra causas naturales, a quo habet illa cogitatio ut sit speciale gratiæ auxilium, licet etiam fuerit speciale beneficium dare illud in eo gradu et modo quo præscitur habiturum effectum et conformitatem cum futuro usu libertatis.

20. *Auctoris iudicio, quæ gratia sit necessaria.* — Dico ergo hanc gratiam consistere in aliqua interna motione Dei aliquo modo supernaturali, qua juvat imbecillitatem nostram, ut tali tentationi valeamus resistere; nam quæ hactenus diximus, hoc saltem necessarium esse ostendunt, ut sit verum auxilium gratiæ. Quod autem hoc sufficiat, probatur a sufficienti partium enumeratione, nam suppositis quæ diximus, nihil aliud superest quod esse possit. Deinde ita loquuntur Episcopi Africani in epistola 95 Augustini ad Innocentium, et Innocentius in Rescript., et Coelestinus in epist. 1 ad Episc. Galliæ, ad finem, et in universum hoc vocant Concilia adiutorium Dei, quod per internas illuminationes et inspirationes datur, ut declarat Augustinus, l. 2 de Peccat. merit. et remiss., cap. 17, et aliis locis supra allegatis. Est ergo hæc motio, ut hic breviter dicam, vel illuminatio intellectus, qua melius et fortius repræsentatur objectum quam per communem cursum causarum possit, vel motus aliquis voluntatis, quo Deus facit suavem illam resistentiam, vel terret ab illo malo, ut Augustinus dixit in hom. 23, ex 50. Dixi autem motionem dari debere aliquo modo supernaturali, quia ad effectum de quo tractamus, non semper est necesse ut sit supernaturalis in entitate sua, quia effectus non est adeo excellens.

Sufficit ergo ut modo supernaturali conferatur; consistit autem ille modus in hoc quod talis ac tanta consideratio, vel affectio, aut inordinatio, in tali occasione et puncto, fieri non posset per communem cursum naturalium causarum, vel per humanam industriam ejus, qui tentationem patitur, comparari. Et ideo illa motio habet veram rationem gratiæ, præsertim si detur in ordine ad finem supernaturalem, sicut nunc datur.

21. *Secundum punctum: Unde dicta necessitas.—Placitum Baii in hoc secundo puncto.—Exploditur.*—Sed statim occurrit secundum punctum propositum. Nam licet per se satis notum sit hoc genus motionis divinæ esse possibile et utilissimum, quod autem sit necessarium, et videtur cum naturali libertate pugnare, et alioqui nulla sufficiens ratio tantæ necessitatis apparet. Duo igitur extrema in hac necessitate explicanda invenio. Primum est eorum qui dicunt hanc necessitatem provenire ex absoluta impotentia liberi arbitrii ad resistendum tali tentationi, in quocumque puncto et momento urgeat. Ita fuit opinatus Michael Baius, qui consequenter assererat, deficiente spiritu gratiæ, necessitari voluntatem ad consentiendum tali tentationi. Soletque pro hac sententia referri Gregorius in 1, dist. 1, quæst. 2, art. 2, ad tertiam quamdam probationem. Sed ille loquitur de motibus doloris aut tristitiæ qui per modum passionum excitantur in voluntate ex notitia objecti nocivi præsentis, non vero loquitur de libero consensu volendi vel nolendi. Refertur etiam Medin. 1. 2, quæst. 10, artic. 3, in fine. Sed ille non dicit aliquando passionem vehementem inferre necessitatem voluntati, ut consentiat vel dissentiat absolute, sed ait esse posse tam vehementem passionem, ut sit necessarium auxilium speciale ad vincendam illam, quod longe diversum est. Ideoque absolute dicit assertionem ibi a D. Thoma positam esse de fide, scilicet, nullam passionem quantumvis vehementem necessitare voluntatem, si iudicium rationis non absorbeat. Unde nullum invenio auctorem catholicum qui aperte dixerit gravem tentationem necessitare voluntatem ad actum peccati. Neque ullo modo id sustineri potest, tum quia nullum objectum creatum necessitare potest voluntatem, si ratio vigilare possit, quia semper invenire potest rationem nolendi illud; tum etiam quia licet tentatio sit gravis, si homo consentiat, peccat; ergo signum est non necessitari.

22. *Evasio Baii.—Censura allatæ evasivæ et impugnatio.*—Respondet Baius negando

consequentiam, quia homo culpa sua incidit in illam necessitatem, et ita intelligit necessitatem peccandi esse per originale contractam, ut interdum loquitur August., lib. de Perfect. justitiæ, ratiocinat. 9, cap. 4, et lib. 7 de Natura et gratia, cap. 22 et 28, et simili modo loquitur Prosper, lib. 3 de Vita contemplativa, cap. 2, et contra Collator., cap. 19, in diverso tamen sensu. Illa itaque sententia gravem continet errorem, videlicet, posse esse peccatum, quod necessario fit, hoc enim consequenter ille auctor concedebat; damnatur autem a Pontificibus Gregorio XIII et Pio V in Bulla contra illum. Item sequitur ex illa sententia, motus primos concupiscentiæ esse peccata, etiam non consentiente voluntate; quod ille concedebat, quia licet necessarii sint, ex peccato Adæ trahunt originem. Illud autem in Concilio Tridentino, sessione 6, et a dictis Pontificibus damnatum est, et a Theologis antea rejectum cum Augustino dicente, libro de Duabus animab., cap. 12: *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis et insanie est.* Et lib. Retract., cap. 9: *Malum quod caveri non potest, peccatum non est.* Neque satis est quod illa impotentia fuerit per originale contracta. Quia si illa talis est ut in præsentem tempore et occasione tollat libertatem actus qui nunc sine libertate fit, non potest esse novum peccatum, id est (ut tollatur quæstio de nomine) non potest imputari ad novam culpam propter præcedentem actum, ut ex materia de peccatis nunc suppono, et ex sententia Augustini 22 contra Faust., cap. 44, dicente: *Qui in ebrietate committit incestum, culpandum esse non quantum incestus, sed quantum ebrietas meretur,* consideratis utique omnibus circumstantiis quibus commissa est. At vero in præsentem quando homo lapsus consentit alicui tentationi, novum peccatum committit et novam pœnam meretur; imputatur ergo ex præsentem libertate, non ex præterita, quæ in Adamo fuit, alioqui non esset peccatum, sed pœna peccati.

23. *Arbitrium etiam sine gratia libere peccat.*—Oportet ergo hanc impotentiam voluntatis ad resistendum tentationi gravi talem esse, ut libertatem ad peccandum non excludat, etiamsi liberum arbitrium omni auxilio gratiæ destituatur, quod est in tota hac disputatione præ oculis habendum, ne in æquivoco laboretur, et difficultates eludantur potius quam solvantur. Et ideo non recte defenditur libertas in hac materia naturali, etiam urgente tentatione, per hoc quod voluntas potest

consentire tentationi sua libertate, et resistere per auxilium gratiæ, quia per hoc non salvatur libertas naturalis, posita tentatione. Nam si necessaria est gratia ut potentia in illa occasione maneat libera ad dissentiendum; ergo remota gratia, et posita tentatione, non erit voluntas libera ad dissentiendum: ergo necessitabitur quoad exercitium. Item tunc remoto auxilio gratiæ non peccaret voluntas consentiendo tentationi, quia necessitaretur omnino ad consensum, et ita auxilium gratiæ non esset necessarium ad non peccandum: imo talis auxilii denegatio certior esset peccati excusatio. Hæc autem omnia sunt contra intentionem Pauli et Sanctorum Patrum, dicentium legem sine gratia augere potius peccatum quam tollere vel impedire, ut in argumentis primæ sententiæ dicebamus. Unde nullo modo negari debet quin homo, consentiendo tali tentationi, peccet juxta materiæ qualitatem, quamvis cum solo concursu generali relinquatur, quia simpliciter libere cedit tentationi, cum tentatio non necessitet voluntatem quamdiu iudicium rationis non absorbet, ut est communis Theologorum consensus cum D. Thoma 1. 2, quæst. 10, art. 2 et 3, et est sententia Anselmi loco supra citato; et illam etiam probant Augustini testimonia adducta in prioris sententiæ confirmationem. Eodemque modo ait libr. de Spirit. et Litter., cap. 31, non obstante extrinseca vi aut suasionem, esse in potestate voluntatis facere et non facere. Idemque q. 24 in Numer. Ita ergo defendenda est necessitas gratiæ ad vincendam gravem tentationem, ut ante gratiam supponatur vera libertas ad peccandum, ideoque dum liberum arbitrium tentatione vincitur, peccare, licet absit gratiæ auxilium. Et hic revera est sensus Patrum, alioqui non satis contradicerent Pelagio, nec postularent auxilium ad non peccandum, sed ut non necessitetur voluntas. Quod etiam satis probant omnia quæ adduximus.

24. *Placitum aliorum in eodem puncto.*—Hinc ergo dixerunt alii hanc necessitatem gratiæ ad vincendam tentationem gravem non esse impotentiam antecedentem in voluntate, sed consequentem et coexistentem in Dei præscientia, id est, indigere voluntatem tali auxilio, non quia absolute non posset tentationem vincere, sed quia adeo debilis est ad præstandum id quod potest, ut Deus præsciat non esse id facturam, nisi juvetur, quæ est necessitas vel impossibilitas consequens. Vel, ut alii loquuntur, non est necessitas quæ opponatur intrinsecæ insufficientiæ ad resistendum, sed

efficaciæ actualis resistentiæ, quia licet liberum arbitrium sufficiat, de facto non est id effecturum, nisi Deus auxilio gratiæ illi subveniat; et quia hoc præscivit Deus, ideo in ejus præscientia auxilium illud necessarium est. Atque hoc modo dicunt, liberum arbitrium non posse sine tali auxilio tentationem vincere.

25. *Rejicitur primo.*—Hæc vero sententia, dum studet in concordiam redigere libertatem arbitrii cum hac necessitate, revera destruit assertionem positam, quam ipsamet certam esse asserit. Probatur assumptum, quia ex illo responso sequitur liberum arbitrium per se et sine gratia sufficere simpliciter ad vincendam tentationem gravem: ergo simpliciter potest, sive sit effecturum, sive non, quia potestas solum dicit principium sufficiens. Sicut homo habens auxilium gratiæ sufficiens, simpliciter potest, licet non habeat efficaciam. Sic enim illa necessitas juxta hanc sententiam non excludit sufficientiam; ergo est principium sufficiens in solo libero arbitrio ad vincendam gravem tentationem, antequam intelligatur habere auxilium gratiæ: ergo est simpliciter potens. Consequens autem est contra assertionem, in qua non de actu tantum, sed de potestate tractamus. Est etiam contra Concilia, et Patres contententes, contra Pelagium, liberum arbitrium, ad resistendum tentationibus ita ut non peccet, nihil vel parum posse.

26. *Rejicitur secundo.*—Præterea est in illo modo explicandi hanc impotentiam alia difficultas, quia si liberum arbitrium simpliciter est potens, et antecederet nullo modo est impotens ad vincendam tentationem sine auxilio gratiæ, absque fundamento dicitur nunquam id facturum, et Deum ita præscire, et consequenter gratis et sine fundamento ponitur illa impossibilitas consequens. Probatur assumptum, quia si principium est simpliciter sufficiens ad talem effectum absque gratia, ergo simpliciter possibile est et contingens, ex tali causa prodire talem effectum; ergo etiam potuit contingere ut Deus præsciverit voluntatem in tali occasione suæ libertati relictam non fuisse consensuram pro sua libertate, quæ ad hoc erat sufficiens; ergo necessitas illa non est universalis, neque ulla ratione vel fundamento ostendi potest infallibile esse ut nunquam contingat oppositum; ergo nec est necessarium ut Deus præsciat nunquam illam sufficientiam transituram esse in efficaciam, ex sola libertate voluntatis, si revera illi nuda sumptæ non deest potestas sufficiens ad illum usum.

27. *Evasio de cogitatione congrua rejicitur.* — Hic vero occurrunt auctores ponentes hanc gratiam in sola cogitatione congrua, et habente congruitatem ex sola præscientia, propter futurum effectum, quam supra etiam congruitatem tantum consequentem appellavimus. Occurrunt (inquam) et fatentur posse quidem contingere ut liberum arbitrium restitutum sit in aliqua occasione, per vires solius liberi arbitrii honesta aliqua cogitatione naturali excitati, et tunc id præscire Deum; et nihilominus resistantiam illam non fieri sine gratia, quia jam illa cogitatio est congrua, et gratis datur. Verumtamen jam revolvimur in id quod sæpe dictum est, hoc modo defendi gratiam nomine, non re, neque secundum mentem Patrum, sed magis Cassiani et sequacium, quia illa cogitatio sola, si est mere naturalis, et ex generali cursu causarum, non est gratia, sed doctrina congrua, et consequenter si cum illa sola potest cum effectu vinci tentatio, licet hoc Deus præsciat, profecto scit vincendam esse viribus naturæ, non gratiæ, sicut Prosper dixit contra Cassianum. Si vero cogitatio illa aliquid amplius habet ex speciali adjutorio Dei, ruit responsio, nam hujus gratiæ necessitas inquiritur. Et præterea habet hic locum argumentum supra factum, quod hæc præscientia etiam in minimis tentationibus, et in quocumque bono actu habet locum, et ita nulla differentia inter graves et leves tentationes constituitur, nisi forte quod frequentius id contingit in levibus quam in gravibus, quod pertinet ad majorem vel minorem difficultatem, non ad majorem impotentiam. Item est simile argumentum, quod non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam in natura integra, imo et in natura Angelica habet locum illa præscientia, et consequenter illa necessitas seu impotentia; nihil ergo erit peculiare quoad hoc in homine lapso; quod dici non potest juxta doctrinam Augustini, lib. de Corrupt. et grat., cap. 11 et 12, et juxta ea quæ dicemus capite sequenti.

28. *Decisio auctoris in dicto puncto 2.* — Dico ergo necessitatem divini auxilii ad vincendas tentationes graves in natura lapsa provenire ex aliqua impotentia liberi arbitrii in tali statu constituti. Quæ quidem non est impotentia physica ad volendum vel nolendum, contra tentationem, seu ad continendum actum volendi, quem tentatio extorquere conatur. Alias tentatio tolleret libertatem, et induceret necessitatem quoad exercitium, durante judicio rationis, quod est impossibile, et con-

tra dogma receptum in Theologia. Est ergo illa impotentia moralis, id est, debilitas quædam mentis et voluntatis ad constanter operandum, proveniens radicaliter ex peccato originali, et proxime ex tribus defectibus, infirmitate, et ignorantia, et captivitate relictis ex peccato. Nam appetitus vehementer inclinatur ad sensibilia, quæ ex se fortius et facilius movent, tanquam magis propinqua et proportionata sensui. Intellectus vero suis viribus relictus vix consequitur, et remisse ac tarde considerat superiores rationes, quibus voluntas movenda est ad tentationem sine peccato superandam. Quibus duobus impedimentis adjungitur instigatio dæmonis, cui fortasse, ratione lapsus humanæ naturæ, major quædam licentia in homines data est. Ex his ergo omnibus præsertim simul sumptis, quando graviter urgent, oritur in homine quædam impotentia resistendi constanter tentationi, nisi a superiori juvetur. Ita rem hanc explicat Bellarm., lib. 5 de Grat. et lib. arb., c. 5, ad 3, in prima solutione, quæ sine dubio melior est. Sic sentit Vega, dicta q. 12, et in re idem dicit Molina.

29. *Stant Patres pro decisione.* — Estque consentaneum antiquis Patribus, qui et libertatem ad non peccandum urgente tentatione in voluntate, etiam carente spiritu gratiæ, admittunt, et impotentiam resistendi simul illi tribuunt, ut constat ex locis Chrysostomi et Prosperi supra adductis. Et in hac debilitate ex peccato originali contracta fundantur, quoties dicunt si Deus in tentatione hominem deserat, necessario ruere, ut ex Innocentio supra retuli, et idem habet Gregorius in Psalm. 3 Poenitent., in fine. Item non solum in homine destituito gratia, sed etiam in minus adjuto quam gravitas tentationis requirat, eandem impotentiam agnoscunt, ut ex Prospero, c. 33, contra Collator., supra notavimus, et sumitur ex illo dogmate, quod etiam homo justificatus non potest cum communi auxilio constanter resistere tentationibus, præsertim gravibus. Quod tradit Coelestinus dicta Epistola, cap. 6, ubi licet indefinite loquatur de tentationibus, tamen indicat in singulis saltem gravibus esse auxilium necessarium, et ideo quotidianum requiri, esseque postulandum, sicut in oratione Dominica petitur.

30. *Obiectio contra decisionem.* — *Solutio ex Anselmo non satisfacit.* — Contra hanc vero explicationem obstat, quia quod non est physice impossibile, sed tantum moraliter, non est simpliciter impossibile, sed potius difficile,

unde contingere potest contrarium interdum evenire. Ita enim Aristoteles, 1 de Cælo, c. 11, distinxit impossibile dupliciter dici, aut quia fieri non potest, aut quia non facile, nec cito, nec bene fieri potest. Illud autem dicitur impossibile priori modo alicui causæ, quod in ejus potentia physica non continetur. Quando ergo talis potentia non deest, licet dicatur moraliter impossibile, revera solum est difficile, et ideo oppositum interdum evenire non simpliciter repugnat: ergo si impotentia voluntatis ad vincendam tentationem gravem solum est moralis, solum est difficultas quædam. Quod quidem, coactus vi argumenti, videtur fateri Anselmus, libro de Libero Arbitrio, cap. 6, et libro de Concordia, p. ult., versus finem. At vero hoc nullatenus videtur concedendum, quia inde sequitur aliquando posse totam aliquam tentationem gravem vinci, ita ut homo non peccet; sed integre servet præceptum, sine auxilio gratiæ: sequitur etiam gratiam non esse necessariam simpliciter, ut possit vinci tentatio, sed ut facilius possit: utrumque autem videtur accedere ad Pelagianum errorem, esseque parum consentaneum Conciliis et Patribus damnantibus Pelagium. Quamvis enim non expresse loquantur de singulis et determinatis tentationibus, etiam gravibus, nihilominus si omnia quæ dicunt attente considerentur, illas etiam includi censent sub impotentia liberi arbitrii lapsi ad vincendas tentationes.

31. *Vera solutio.* — Dico ergo etiam in latitudine impotentiae moralis aliquid esse posse de objecto simpliciter impossibili, id est, quod nunquam contingat a tali causa sibi permessa evenire. Unde non semper impossibile physice et moraliter in hoc distinguuntur, quod illud nunquam evenit, hoc autem interdum accidere contingit; sed formalis differentia in præsentia materia est quia ad primum impossibile non est in agente potentia physica: ad posterius autem impossibile non deest physica potentia, et nihilominus effectus seu objectum tot potest esse difficultatibus affectum, ut nunquam fiat a tali potentia uniformiter et sine defectu, nisi vel potentia juvetur, vel difficultates tolerantur. Et quando tale est hoc impossibile ut nunquam a tali causa sic affecta eveniat, dicitur simpliciter impossibile respectu illius, quia absoluta possibilitas non dicitur respectu causæ physice nude sumptæ, sed ut spectatæ cum circumstantiis, sine quibus nunquam ita operabitur.

32. *Exemplis declaratur.* — Possumus exem-

plis rem hanc declarare. Primum sit supra positum, quia, juxta Christi sententiam, impossibile est quin scandala aliquando eveniant. Cum autem scandalum non detur nisi per actionem liberam et peccaminosam, ut verba a Christo subjuncta declarant: *Væ autem homini illi per quem scandalum venit*; fit ut non desit potentia physica ad vitandum quodlibet scandalum; ergo necessitas illa per quam veniunt scandala, et impotentia illi opposita, est tantum moralis, et nihilominus talis est ut nunquam deficiat. Hieronymus etiam, in epist. ad Ctesiphontem, illud censet esse simpliciter impossibile, cujus oppositum nunquam evenit, etiamsi per actus physice possibles et liberos evitari posset, ut est hominem nunquam peccare. Quod repetit Hieronymus, lib. 3 contra Pelagian., parum a principio, exemplisque confirmat, dicens: *Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit*; ecce physiceam potestatem; de morali vero impotentia subjungit: *Pro tempore, pro loco, pro imbecillitate, etc.*, usque ad illud: *Sic humana conditio, si paululum remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non posse cognoscit*. Ecce impossibilitatem moralem, de qua iterum in fine, cum dixisset, *in nostra esse potestate peccare, vel non peccare, ad bonum vel malum extendere manum*, subdit: *Nec quia ad breve possum, utique etiam moraliter, coges me ut possim jugiter, utique moraliter; possum jejunare, vigilare, etc.; numquid in perpetuum?* Sic ergo multa absolute seu indefinite sumpta sunt simpliciter impossibilia, non quia desint causæ physice a quibus provenire possunt, sed quia nunquam a talibus causis integre, ut sic dicam, et totaliter eveniunt, propter inconstantias earum, vel impedimenta quæ in una vel alia occasione non desunt. Sicut etiam non deest in manu potentia physica, ut, describendo circulum, perfectum illum faciat, nunquam tamen ita illum perficit, nec est possibile simpliciter loquendo, quin in una vel alia parte deficiat: item non est impossibile physice loquendo, sæpius jactatis talis seu tesseris, eosdem semper numeros reddere, seu eandem figuram; est tamen moraliter impossibile simpliciter; id est, quod nunquam ita contingat, quia conditio rei contingentis et fortuitæ id non patitur.

33. *Applicatio exemplorum.* — *Suadet experientia.* — Ad hunc ergo modum dicimus esse moraliter impossibile vincere tentationem gravem sola libertate in hoc statu naturæ lapsæ, quia licet libertas non desit, etiamsi gratia